



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE **NOBIS EST** PAROECIALE TEMPLUM DESCENSIONI SPIRITUS SANCTI DICATUM

QUOD IN LOCO «PRZEWORSK» INTRA FINES DIOECESIS PREMISLIENSIS

LATINORUM EXSTAT, AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam.

– Nobis est probe cognitum inter sacras dioecesis Premisliensis Latinorum aedes paroeciale templum enitere Descensionis Spiritus Sancti dicatum quod ornamentis et arte decorum in loco «Przeworsk» exstat. Praeterea constat quam plurimos fideles eiusdem templi sacellum a SS. Sepulchro Domini appellatum frequentare ibique Christi Passionis ac Resurrectionis memoriam pia meditatione recolere. Qua de re, cum Venerabilis Frater Ignatius Tokarczuk, Episcopus Premisliensis Latinorum, litteris die VI mensis Octobris hoc anno datis, etiam cleri et populi sui nomine petiverit ut idem templum titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, peculiare dilectionis Nostrae documentum cupientes praebere, istius Pastoris precibus censem libenter obsecundare. De sententia igitur Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino Nobis proposita, quam ratam habemus, Apostolica Nostra usi potestate, hanc Litterarum vi perpetuumque in modum paroeciale templum, de quo fecimus mentionem, ad gradum Basilicae Minoris evehimus cum omnibus iuribus atque liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «de titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII editum, servanda sunt. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Decembris, anno MCMLXXII, Pontificatus Nostri quinto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana

---